

Cartulaire de l'abbaye de Gorze, Nr. 53

In Dei nomine placuit atque convenit inter virum venerabilem domnum Drogonem, archiepiscopum necnon et sacri palatii archicapellanum, et aliquem hominem nomine Giroardum, ut aliquid de rebus eorum inter se comcambare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit predictus Giroardus res suas in pago Calvomontinse, in fine Variniega vel in Waringinsi villa, ad partem cellule Sancti Gorgonii que est sita in ipso pago vel in ipsa fine, ubi domnus Drogo rector preesse videtur; hoc est in villa predicta mansos duos, et ad ipsos mansos pertinentes terras arabiles, ancingas XXI ad perticam mensuratas, que pertica habet in longum pedes XIX ad pedes mensuratos, et de prato ad fenum faciendum ancingas VIII ad ipsam perticam mensuratas, a die presenti, ut quidquid pars ecclesie predictae rectoresque ipsius exinde elegerint, faciendi libero in omnibus perfruantur arbitrio. Similiter econtra huius rei recepit ipse Giroardus predictus, de ratione Sancti Gorgonii vel domni Drogonis, de rebus Sancti Magrani qui respicit ad predictam cellulam, in vico Bodesio sive Subteriori, mansos II ad ipsam perticam meosuratos, qui sic terminantur : de uno latere ratio Sancti Dionisii, de una fronte ratio Sancti Stephani, de alio similiter, de quarto caminus; est alios mansus et termi natur sic : de uno latere Anselardus tenet, de alio Mauricius, de tercio ratio Sancti Stephani, de quarto caminus; infra iam dictas terminationes ad integrum, et in ipsa fine Bodesiaga, de terris aratoriis ancingas XXI ad ipsam perticam mensuratas, et de prato ancingas VIII ad ipsam perticam. Ita ut ab hac die pars una ab altera parte quod accepit habeat, teneat atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam ac firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Quod si quis contra concambium istud venire conatus fuerit, ex partibus nostris inferat una cum cogente fisco auri libras V, argenti pondera XXX muleta sustineat, et quod repetit evindicare non valeat, sed presens concambium firmum permaneat stipulatione subnixa. Actum Warangisi villa, publice, anno quo supra. †Giroart et Wandargarde, qui hoc comcambium firmare et fieri rogaverunt; †Haimonis; †Donamii; †Haigini; †Bernardi; †Hiladieri; †Bercrin; †Ratheri; †Evevardi; †Albrici. Ego Hildemannus et amanuensis rogatus scripsi.